

9. Atqui aliae veritates sunt fundamentales: a) sensatio; dist.: est causa ultima materialis — conc.; fundamentalis — nego; b) abstractio; dist.: est causa ultima efficiens — conc.; fundamentalis — nego; c) determinatio obiecti; dist.: est causa ultima efficiens vel materialis — conc.; fundamentalis — nego; d) conscientia; dist.: est conditio necessaria — conc.; fundamentalis — nego.

10. Atqui saltem Dei existentia est causa fundamentalis; dist.: in ordine essendi — conc.; in ordine intelligendi pro nobis — nego.

11. Atqui etiam in ordine intelligendi (logico); nam Dei intellectus et essentia sunt causa et mensura rerum; dist.: divinus intellectus est causa exemplaris rerum obiectiva — conc.; subiectiva pro nobis — nego; item divina essentia est fundamentum obiectivum — conc.; subiectivum — nego.

12. Atqui debent esse et causa exemplaris et fundamentum subiectivum cognitionis; nam Deo negato ruit omnis veritas: dist.; consequenter et mediate — conc.; directe et immediate — nego. Nam Dei intellectus vel essentia non est immediatum obiectum et criterium nostrae cognitionis, uti Ontologistae somniantur.)

Liber secundus: De fontibus veritatis.

1. *Notio fontis veritatis*: Natura veritatis et certitudinis eiusque existentia explorata quaeritur, quomodo acquiratur, quae sint media cognitionis. Duplex autem medium distingui potest: medium *quod* et medium *quo*. Medium *quod* seu *obiectivum* est illud, quod prius cognitum nobis manifestat alias veritates, et hoc praecipue vocatur quod criterium et motivum veritatis, et hoc praecipue vocatur quod criterium et motivum veritatis, ab eis tamen ratione distinguitur; existit quidem unum supremum criterium et motivum veritatis, non vero unus fons omnis cognitionis. Distinguitur etiam a conditione, quae non est causa cognoscendi, e. g. sanitas oculi, et a fundamento, quod non explicite cognoscitur, sed in quo *ultimo* assensus nititur; fons vero explicite cognoscitur, et est ratio *proxima* assensus.

2. *Divisio*: Triplex vero fons cognitionis distinguitur: a) *Experientia*, quae subdividitur in externam et internam; b) *intelligentia*, quae comprehendit ideas et ratiocinia; c) *auctoritas*, quae aut humana est aut divina.

Mediis illis obiectivis cognoscendi respondent totidem media subiectiva, quae etiam fontes vocantur, quibus veritates immediate attinguntur, quin ipsa prius cognoscantur. Haec vero *media quo* seu *subiectiva* iterum dividuntur in primaria et secundaria. *Primaria* sunt ipsae facultates cognoscendi, pro experientia interna: *conscientia*; pro experientia externa: *sensus*; pro ideis: *intellectus*, pro ratiociniis: *ratio*; pro auctoritate: *fides* vel naturalis vel supernaturalis. Media quo *secundaria* sunt ipsi actus harum facultatum, quibus ob-

iecta vera ipsa exhibentur, et omnia quae ad illos actus tanquam media necessaria sunt, e. g. vibrationes lucis ad videndum; aëris ad audiendum. — Iam singulos fontes consideremus.

Caput I: Fons experientiae.

§ 1. Experientia interna sive conscientia.

1. *Notio et existentia conscientiae*¹⁾: a) Per *experientiam internam* constat, nos non solum videre, sentire obiecta, intelligere verum, velle bonum, sed etiam nobis *conscii* sumus, nos videre, sentire, intelligere, velle, idque *eodem* actu, quo obiecta videmus, intelligimus, volumus. (Omnis enim actus cognoscendi et appetendi duplici modo considerari potest: *objective*, in quantum obiectum exhibet, et *subiective*, in quantum nos ipsos afficit et quodam modo immutat.²⁾ Utrumque est obiectum cognitionis nostrae: primum est obiectum *directum et expressum*, alterum vero est *indirectum et implicitum* (in actu exercito). Cognitio autem, qua hoc modo subiectivo et indirecto actus nostri interni nobis innotescunt, vocatur *conscientia* (i. e. con = simul — scire).

b) *Ex natura et fine* illorum actuum patet eiusmodi conscientiam nobis necessariam esse. Neque enim sufficit, ut illi actus quocumque modo adsint, sed requiritur, ut sciamus, eos ad nos pertinere tanquam nostram affectionem vel perfectionem, nostrum bonum vel malum, ut vita nostra et sensitiva et intellectualis et moralis inde perfici possit. Neque enim ex se ipsis finem attingunt sicut actus vegetativi, quos conscientia non refert, sed in quantum obiecta *nobis* repraesentant vel appetenda vel fugienda e. g. famem ut *nostram*, periculum ut *nostrum*, actionem bonam ut *nobis*, non aliis exercendam. Atqui actus directus per se et directe non exhibet nisi obiectum a nobis distinctum. Ergo opus est cognitione, quae actum ipsum tanquam *nostrum* nobis manifestat.)

¹⁾ Cfr. Aristot. metaphys. XII, 9, ubi tamen conscientia directa a reflexa non satis distinguitur; idem dicendum esse videtur de s. Thoma, S. Theol. I, qu. 87, a. 3; et qu. 79, a. 13. Philos. Jhrb. 1904; Heft 1—3; 1905, Heft 1—3 Dyroff: „Das Ich u. d. Wille; Das Ich u. Empfindung, Vorstellung, Bewusstseinslage; Der Ichgedanke“. ²⁾ Moderni hanc distinctionem saepe negligunt, unde magna confusio irrepsit. Sic Kant: „Erscheinung, Gegenstand der Erfahrung“ idem habet: „Die äusseren Gegenstände sind nichts anders, als blosse Vorstellungen unserer Sinnlichkeit“. Wundt: „Die Vorstellung des gesehenen Gegenstandes ist eins mit dem Gegenstand selbst“. Logik², I, 424; cfr. E. Fischer, Theorie d. Gesichtswahrnehmung, 1891, p. 197 sq.

2. *Natura conscientiae:*¹⁾ Conscientia potest considerari tanquam *facultas* et tanquam *actus*.

I. Si ut *facultas* consideratur, dicendum est, non esse facultatem propriam, distinctam a ceteris; quod patet:

a) *Ex identitate actuum:* Idem enim actus cognitionis sive appetitus in se simplex et immanens non potest ad duas facultates realiter distinctas pertinere; actus enim diversarum facultatum e. g. intellectus, voluntatis, sensuum inter se realiter sunt distincti. *Atqui* idem actus e. g. videndi, intelligendi et logice et physice tum ad certam facultatem tanquam ad suam causam efficientem spectat, tum a conscientia refertur. *Ergo* conscientia referens eundem actum ut suum non potest esse facultas realiter distincta ab aliis facultatibus, quarum refert actus.

b) *Ex obiecto cognitionis:* Omnis actus cognitionis habet etiam obiectum immediatum, in quod directe fertur tanquam in suum terminum obiectivum sive logicum; mediata enim cognitio semper supponit immediatam, indirecta directam. Conscientia igitur, si esset facultas propria, deberet habere obiectum immediatum et directum. *Atqui* constat per ipsam conscientiam, in omni actu cognitionis sive volitionis obiectum directum et primum non esse nostram affectionem, sed rem a nobis distinctam, affectionem autem illam esse obiectum secundarium atque indirectum, licet simul perceptum. *Ergo* conscientia non est facultas propria.

c) *Ex absurdis:* Si conscientia esset facultas propria: 1^o) haberet actum ab actu, quem refert, distinctum, unde in omni cognitione directa, etiam in simplici apprehensione, adesset duplex actus; 2^o) tum obiectum cognitionis, tum immanentia actus deberet esse obiectum immediatum, primum et directum. *Atqui* utrumque repugnat ipsi conscientiae, quod testatur, eundem actum esse, qui et obiectum repraesentat et ut noster sentitur, obiectum directe et primario, nostram autem affectionem secundario percipi. *Ergo* . . .

d) *Ex falso supposito:* Adversarii putant, conscientiam esse propriam facultatem, quia aliud esset obiectum percipere, aliud actum ut nostrum sentire. *Atqui* conscientiae actus aut per se ipsum sese ut nostrum manifestat, aut iterum per alium; si *primum*, non est ratio, cur perceptio directa saltem implicite et simul sese ut nostram nobis non revelet, si quidem est actus nobis immanens, sicut ille alius; sin *alterum*, alius iterum actus ac proinde alia rursus facultas requireretur ad actum conscientiae percipiendum, itaque

¹⁾ Haec quaestio per se psychologica hoc loco tractatur, quia maximi momenti esse videtur scire, quid sit conscientia, ad cuius testimonium in argumentis conficiendis saepissime provocamus.

in infinitum esset eundem, quod repugnat. *Ergo* conscientia non est propria facultas.¹⁾)

II. Si conscientia ut *actus* consideratur, a) non est quidam sensus perpetuus, vel fundamentalis, neque visio continua, ut Rosmini et Tongiorgi volunt²⁾, sive proprii corporis, sive animae ipsius; nam tunc primo et directe ipsam substantiam corporis et animae perciperemus, et facile corpus ab anima distingueremus, cui tamen repugnat experientia nostra et aliorum hominum. Deinde deberemus habere illum sensum intimum, etiamsi nullus actus cognitionis vel appetitionis sensitivae vel intellectivae adesset, e. g. si viribus destituti sumus, (vel etiam in morte,) quod iterum per experientiam refellitur. Tandem constat per conscientiam, nos primo et directe obiecta, sed indirecte et secundario, licet immediate, ipsos actus, et in et cum actibus corpus et animam nostram percipere tanquam causam simulque subiectum actuum interiorum, neque adesse ullum sensum vel corporis vel animae, nisi actus cognoscendi vel appetendi adsit.

b) Neque conscientia est actus realiter distinctus ab aliis actibus cognoscendi vel appetendi. Si enim realiter distingueretur ab actibus, quos refert ut nostros, 1^o deberet etiam propria facultas conscientiae statui, si quidem anima per facultates cognoscit; sed talis facultas, ut vidimus, est reiicienda; 2^o hic actus aut per se solum aut iterum per alium actum animae, i. e. principio cognoscenti vel appetenti innotesceret. *Atqui* si per alium actum animae innotesceret, de hoc alio actu eadem quaestio instituenda esset et ita in infinitum, quod repugnat et omnem conscientiam reddit impossibilem. Si vero actus conscientiae per se solum, i. e. per suam realem praesentiam et immanentiam animae innotescit, nulla est ratio, cur non etiam ille actus cognitionis vel appetitus, quem refert, per se ipsum nobis sese manifestet, quia eius praesentia et immanentia realis eadem est in anima cognoscente et appetente. Est autem axioma ab omnibus receptum, entia sine necessitate non esse multiplicanda. 3^o Neque ulla est ratio, cur realis distinctio statuatur. Si enim dicunt, idem non posse esse subiectum simul et obiectum cognitionis, eadem ratio valeret etiam pro actu conscientiae ab aliis distincto, qui se ipsum deberet manifestare animae ac proinde simul esset subiectum et obiectum cognitionis. Repugnat quidem, idem esse subiectum et obiectum cognitionis *sub eodem* respectu, sed non repugnat, actum vel potius animam primo et directe quidem obiectum a se distinctum, a quo determinatur, apprehendere, indirecte

¹⁾ Cfr. Aristot. De anima III, 2; cfr. Rolfes, Des Aristoteles Schrift über d. Seele, 1901, p. 136 sq. E. Fischer, Erkenntnistheorie p. 210 sq. ²⁾ Cfr. Boedder, Psychol.² p. 85.

vero et secundario seipsam, i. e. suum actum simul sentire et ut suum cognoscere. Quod nisi admittitur (Condillac, Herbart, Spencer et alii), nulla possibilis est conscientia.

e) Unde statuendum est, conscientiam tanquam *actum* non esse realiter distinctum ab actibus cognoscendi¹⁾; sed quemadmodum considerata ut facultas solum ratione vel virtualiter distinguitur ab aliis facultatibus, ita etiam ut actus sola rationis distinctione differt ab actibus, quos refert ut nostros. Idem enim actus, in quantum *logice sive obiective* terminatur, vocatur cognitio (*sive volitio*) sensitiva vel intellectualis, in quantum autem *physice et subiective* in anima cognoscente (sive volente) terminatur, vocatur conscientia. Haec igitur est modus quidam vel conditio necessaria, qua actus non solum est in nobis, sed etiam *cognitus* a nobis. Conscientia igitur *directa subiective* considerata est experientia interna, qua actus cognoscendi et appetendi tum intellectuales tum sensitivos ut nostros percipimus; *obiective* considerata est ipsa praesentia et immanentia actuum cognoscendi et appetendi in principio cognoscente et appetente.²⁾

Non enim omnis actus, qui est *in nobis*, eo ipso etiam *cognitus* est a nobis, e. g. actus vegetales, circulatio sanguinis, palpitatio cordis, contractio pulmonum etc. Ad conscientiam vero requiritur, ut actus sit praesens et immanens principio vitali *cognoscenti vel appetenti*.

3. *Species conscientiae*: Conscientia dividitur a) *ratione status in habitualem et actuaalem*; illa consistit *fundamentaliter* in *identitate substantiali* entis percipientis, *proxime vero* in *memoria actuum praeteritorum eiusdem principii operantis*. *Actualis* vero est, ut explicavimus, illa experientia interna sive apprehensio actus cognoscendi et appetendi nos afficientis ab ipso tamen actu realiter non distincta; et *haec conscientia proprie sic vocatur estque fons novae cognitionis, non vero habitualis*.

b) *Ratione naturae in sensitivam et intellectualem*. Illa committatur omnes actus cognoscendi et appetendi sensitivos tum in hominibus, tum etiam in brutis eosque refert principio operanti et pertinetur organis; vocatur etiam a nonnullis, quamvis perperam, sensus internus vel sensus communis. Conscientia vero *intellectualis* not

¹⁾ Realem distinctionem statuunt e. g. Fortlage, Ulrici, H. Fichte, Hagemann (cfr. Gutberlet, Psychol.² p. 163). Herbartiani vero cum Locke, St. Mill porro Idealistae multi duce Kant absolutam putant identitatem inter conscientiam et actum cognoscendi adesse, siquidem repraesentatio ipsis non est nisi subiectiva mentis affectio, non immediata obiecti cognitio (cfr. supra p. 103 sq). Nos autem mediam inter utramque opinionem tenentes viam non quidem realem, sed virtuaalem statuimus distinctionem. ²⁾ Similiter Wundt, Grundzüge der physiol. Psychologie, 1880, I, 216; porro Gutberlet, T. Pesch, aliique multi

est nisi in entibus intellectu et voluntate praeditis, actusque intelligendi et volendi nobis refert, ab ipsis tamen non est realiter distincta. — Nobis de utraque conscientia tanquam fonte cognitionis sermo est.

c) *Ratione perfectionis conscientia intellectualis* distinguitur *directa* (Bewusstsein) et *reflexa* (Selbstbewusstsein); atque haec distinctio est maximi momenti. *Conscientia directa*, quae a multis etiam sensus intimus vocatur, est illa, quae omnem actum tum intelligendi, tum volendi comitatur tanquam conditio necessaria, ut nobis innotescat; *reflexa* vero supponit directam in ipsamque redit. (Quare conscientia directa differt a reflexa multis modis:

1^o *directa* pertinet ad actus cognoscendi et *volendi*; *reflexa* est actus *solius intellectus*, non vero sensus neque voluntatis; 2^o *directa* non est actus distinctus ab illis, quos manifestat; *reflexa* est novus actus distinctus ab actu directo, quem supponit; 3^o *directa* est essentialis omni actui et semper adest, immo debet et ipsum actum reflexum referre; *reflexa* non est essentialis, sed saepe abest; 4^o *directa* est tum in actibus primitivis (*directis*), tum in reflexis; *reflexa* in solis reflexis; 5^o *directa* non iudicat, sed solum apprehendit, experitur; *reflexa* tum apprehendit, tum iudicat; est enim ipsa mens cogitans; 6^o *directa* est fons cognitionis, i. e. novas res manifestat; *reflexa* vero non, sed supponit testimonium conscientiae directae. — Ex confusione utriusque conscientiae errores tum in iudicia, tum in systemata philosophica irrepunt.¹⁾ — Nobis hic non est tractandum nisi de conscientia *directa actuali*, quae sola est fons novae cognitionis.

4. *Obiectum conscientiae directae*: Conscientia directa actualis tum sensitiva, tum intellectualis, quum realiter sit idem atque ipsi actus, illos refert non in quantum hoc vel illud obiectum repraesentant, sed in quantum hic et nunc animam afficiunt. Itaque obiectum proprium conscientiae directae non est iudicare de obiectis, neque referre omnes actus in homine, sed solum illos, qui potentiam cognoscendi et appetendi afficiunt (non vegetales vel effectus mere physicos vel physiologicos); neque refert distincte causam intimam, vel naturam et condiciones actuum per se, sed obiectum proprium est *ipsa praesentia et immanentia actuum cognoscendi et volendi*. Unde conscientia refert: a) *factum* aliquod, non iudicat, neque ratiocinatur; b) *factum internum*, i. e. non obiectum aliquod a nobis distinctum, sed affectionem subiectivam; c) et quidem *factum internum praesens*, non praeteritum, ut memoria; d) refert actus non

¹⁾ Etiam clarissimus Villafranca, Compendium philos. I, 416 et II, 262, non videtur satis distinguere inter conscientiam directam et reflexam, actuaalem et habituaalem.

abstracte, sed *concrete*, sicut oculus non colores abstracte, sed res coloratas manifestat; unde *primo* quidem *actum* refert, sed *secundario*, immediate tamen in et cum actu ipsum *principium* cognoscens vel appetens, cui actus est immanens, realiter attingit, simulque modum, quo actus hic et nunc oritur ex suo principio.

Coroll. I.: Advertendum est, conscientiam tum directam, tum reflexam non confundendam esse cum conscientia morali, quae est dictamen rationis de honestate actionum nostrarum, quae quidem conscientia moralis supponit directam et reflexam, sed per se alia res est.

Coroll. II. Conscientia igitur directa non est maior quaedam *intensitas* actus cognoscendi, ut Herbart, Beneke alique volunt; requiritur enim ad omnem actum cognoscendi et volendi, si quidem non realiter differt ab eo. Neque simpliciter confundenda est cum *attentione* vel *apperceptione*, ut Leibnitz, Kant alique faciunt: *attentio* quidem *directa* est actus cognoscendi in fieri, conscientia autem est actus in facto esse; *attentio* autem *reflexa* supponit iam actum ac proinde eius conscientiam. Neque collocanda esse videtur conscientia in quadam *actione indicativa* (Tätigkeit des Unterscheidens¹⁾, nisi conscientiam directam tum intellectualem tum sensitivam cum reflexa confundas. Perfecto enim, ut distinguas vel iudices, debes iam *esse* conscius obiectorum distinguendorum sive subiecti et praedicati iudicii. Accedit, quod adest etiam conscientia simplicis apprehensionis, in qua nondum potest esse distinctio iudicativa; et bruta habent conscientiam, non autem se discernunt ab actibus suis. Neque potest conscientia reponi *in unitate et relatione* actuum internorum, reiecta anima substantiali, ut Taine,²⁾ Wundt,³⁾ Guido Villa⁴⁾ multique recentes; tunc enim confunditur cum memoria, cuius fundamentum est anima substantialis eiusque conscientia actualis suae activitatis, neque posset esse conscientia plurium actuum, nisi singuli iam essent nobis conscii.

Coroll. III. Quum igitur nulla sit distinctio realis inter actum conscientiae et illum, quem refert, immo quum actus conscientiae sit ipsa immanencia et praesentia actus cognoscendi vel appetendi, patet non posse esse actus cognoscendi vel appetendi nobis inconscios, quos ducibus Cartesio et Leibnitio praesertim Herbartiani et E. v. Hartmann (saltem in ente suo absoluto) cum multis recentioribus statuunt (cfr. Wundt, *Physiol. Psychologie*, II, 195 sq., qui tamen ipse actus nobis inconscios tanquam in se repugnantes reicit). Nam a) conscientia consistit in reali immanencia et praesentia actuum in principio cognoscente et appetente. *Atqui* omnes actus cognoscendi et appetendi debent esse immanentes et praesentes animae cognoscenti et appetenti. *Ergo* omnes illi actus debent esse conscii. Unde illi actus aut sunt praesentes et immanentes animae, et tunc necessario nobis sunt conscii, aut non sunt praesentes et immanentes, et tunc nulli omnino sunt. Qui sententiam oppositam statuunt, non distinguunt satis vel inter speciem *impressam* et *expressam*, i. e. inter *praerequisita* ad actum (abstractionem

¹⁾ Hagemann, *Psychol.* § 17; Braig, *Abriss d. Noëtik* p. 152. ²⁾ Baumann, *deutsche u. ausserdeutsche Philosophie* p. 393 sq. ³⁾ *Grundzüge der physiol. Psychologie*, 1880, I, 216; II, 463; cfr. König, W. Wundt, 1902, p. 114. ⁴⁾ *Einführung in die Psychologie d. Gegenwart* (übersetzt von Pflaum, 1902) p. 316.

naturalem, determinationem physicam, physiologicam nervorum immutationem) et actum ipsum vitalem perfectum, quem conscientia supponit; vel inter actus confusos et distinctos, vel debiles facile ex memoria excidentes et fortes, vel actus directos et reflexos.¹⁾ — Neve obicias, actus vegetales nobis esse immanentes, non autem conscios; non enim adest paritas; illi ex se finem attingunt, quin cognoscantur; immo melius, quam si cognoscerentur, ita ut influxu voluntatis vel appetitus facile turbarentur, e. g. respiratio, digestio etc. b) Actus igitur cognoscendi et appetendi finem non obtinent, nisi nobis conscii fiunt. *Atqui* si essent actus inconscii cognoscendi et appetendi, non ex humano defectu, sed ex se et natura sua, fine privarentur, quod admitti nequit. *Ergo* illi actus inconscii videntur esse reiciendi.)

Thesis XIII: Conscientia directa est fons infallibilis veritatis; proinde iudicia immediata inde formata necessario sunt vera; mediata autem per se quidem sunt vera, per accidens autem possunt esse falsa.

I. *Conscientia directa seu experientia interna est fons infallibilis veritatis.*

St. qu. Agitur in thesi de conscientia directa, non reflexa, eaque actuali, non habituali, tum de intellectuali, tum etiam sensitiva; affirmatur, factum internum, i. e. actum cognoscendi vel volendi et sensitivum et intellectualem, quem conscientia refert, *certe* adesse et *eo modo* adesse, quo conscientia illum refert et *intrinsece* repugnare, eum non existere vel alio modo ab eo quem refert conscientia adesse.

Prob. 1. Ex natura conscientiae: Si conscientia directa actualis falleret, deberet actus, quem refert, vel non existere vel saltem non eo modo quo refert, existere. *Atqui* hoc impossibile est; nam conscientia directa actualis realiter nil est nisi actus ipse, in quantum hic et nunc est praesens et immanens potentiae vel animae operanti; si ergo conscientia falleret, ipse actus deberet simul adesse et non adesse vel adesse hoc modo et simul alio modo. *Ergo* conscientia directa actualis intrinsece infallibilis est.

(2. *Ex natura simplicis apprehensionis:* Simplex apprehensio primitiva nequit esse falsa (cfr. thesim III supra). *Atqui* conscientia directa actualis est simplex apprehensio; immo a) est omnium apprehensionum maxime *fundamentalis*, b) omnibusque *actibus implicita*, c) ab ipso obiecto *immediate et necessario* determinatur. *Ergo* nullo modo fallere potest; secus enim nulla iam posset esse certitudo.)

¹⁾ Bene de hac re scribit: Wolff „Bewusstsein und sein Object“; Freiburg (Schweiz) 1893; pag. 112 sq. Boetzkes, *Natur u. Offenb.* 1900, p. 396 sq. et 1902, p. 44 sq. — Contra Gutberlet, *Psychol.* pag. 44 sq.; Hagemann, *Psychol.* § 17 et 22; Kohlhofer, *Philos.* Jahrb. 1897, pag. 49 etc., quorum argumenta distinctionibus supra indicatis solvantur. Idem dicendum est de actibus conscii quidem, sed non animadversis, quos J. Müller (*System der Philosophie*) cum paucis philosophis post Cornelium statuit (vide „Pastor bonus“ 1898, 11./12. Heft 1.).